

mentionem per occasionem interjiciemus etiam, ubi opus fuerit, in sequentibus.

## CAPUT II.

De

CANONE TRIANGULORUM NOVO  
NEPERIANO.

**C**Anonem Triangulorum Nostri Seculi vel Novum aut NEPERIANUM VOCO eum, quem sub initium hujus seculi invenit, & ante decennium primùm evulgavit Johann. Neperus Baro Scotus, Mathematicus sine pari.

Is enim, cum expertus fuerit *nihil Mathematica praxi tam molestum, quodq; Logistas magis remoretur, ac retardet quam magnorum numerorum multiplicationes, partitiones, quadratq; ac cubica extractiones, quæ præter prolixitatis tedium lubricis etiam erroribus sunt obnoxia: cœpit animo revolvere, qua arte certâ & expedita posset dicta impedimenta amoliri. Multis subinde in hunc finem perpensis, non nulla tandem invenit præclara compendia, quorum pleraq; seorsim edidit: verùm inter omnia nullum hoc utilius, quod una cum multiplicationibus, partitionibus, & radicum extractionibus arduis & prolixis, ipsos etiam numeros multiplicandos, dividendos & in radices resolvendos ab opere rejicit & eorum loco alios substituit numeros qui illorum munere fungantur, per solas additiones, subtractiones, bipartiones, tripartiones: Verba ipsius Neperi in præfatione ad Lectorem. In dedicatoriâ autem ad Carolum Walliæ Principem præterea etiam ait: *Nova hæc Logarithmorum methodus omnem illam pristina Matheos in calculo difficultatem (qua alioqui generosam indolem offendere posset) penitus è medio tollit: & ad sublevandam memoria imbecillitatem ita se accommodat, ut illius adminiculo facile**

R 2

sit plu-